

consilium, uti Basilius loquitur p. 7. oportet habere Pugnatores, qui stent in acie contra aliarum Nationum homines, eisq; impudens os obstruant. Lutherus p. 11. Exempla passim vid, in Procemio.

XXIX. Effectus Philologiæ sunt nobilissimi. Hujus enim beneficio (1.) Spiritus S. in Scripturâ loquens, à nobis rectè intelligitur. Chemnit. p. 85. (2.) difficillimæ quæq; controversiæ rectè explicantur, falsæ Adversariorum hypotheses, quas plerumq; è doctrinâ suâ, falsis fundamentis nitente, exstruunt, in apricum producuntur, ac παραρρηκτων fontes, ac male sanorum dogmatum fomenta deteguntur, sicq; nos in sententiâ nostrâ firmiores reddimur. Procem p. 76. 106. Hottinger p. 157. vid. supradhes. VIII. (3.) Sensus Scripturæ proprius & literalis rectè elicitur, doctrinæq; puritas per eundem conservatur. Chemnit. p. 85. vid. Thes. præced. (4.) Hæc quoq; nobis Scripturam S. à Rabinorum sordibus repurgatam reddidit, in quibus eliminandis Försterus non parùm sudavit. Procem. p. 56.

XXX. De Versionibus item Philologia dextrè judicare docet, quæq; harum optima sit, & ad fontes quàm proximè accedat, quænam contra ab iis recedat, planû facit. Patet ergò hinc, Lutheri versionem inter cæteras facile primas sibi vèdicare, de cujus accuratissimâ translatione quæ scripsit Heshusius, vid. alleg. in Procem. p. 64. Judæos de S. Linguae naturâ, Germanos de commodis vocibus percontatus est, viros insuper eruditissimos in consilium adhibuit, si textus quidam difficilior sese obtulit, & sic junctâ aliorum operâ opus perfecit, uti de illo testatur Matthesius in vit. Luheri p. 74-75. Nullo tamen modo hanc suam versionem fontibus vult præferri, aut æquiparari, aut pro authenticâ haberi, uti falsò calumniantur Pontificii, sed ut humanam recipi. Procem. p. 103. in quâ errare potuerit. p. 58. Cavillationes, quas de corruptis & depravatis per Lutherum Bibliis Zangerus ingerit Procem. p. 152. retusas per D. Beringerum vide p. 104. & seqq.

XXXI. Habet præterea hoc quoq; Philologiæ S. studium, ut indefessos sui cultores nominis & famæ celebritate adaugeat.